UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Henrici || Svsonis Viri Sanctita-||te, Ervditione Et Mi-||racvlis Clari, Opera

Seuse, Heinrich

Coloniae, 1615

De Equitibus auratis, & de Nobilibus. Capvt XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38029

Visual Library

Nulla in principum cõiugibus temeritas, pernicacia, petulantia cernebatur. Quod ſi quæ in Dei timore viuere noluiſſent, compellebantur à maritis diuina fretis ope, manere in officio, viuebantque pariter in amore ac timore præpotentis Dei. Atqui nunc proh dolor ſuis indulgent affectibus & vitijs, ſuæq́; obſequuntur libidini in omnibus, efferunturq́; ſuperbia, & miſeros ac inopes ſubditos ſuos contra ius faſqúe opprimunt & excoriant, laboreſqúe ac ſudores, eorum ſummo cum animarum ſuarum diſcrimine in ſummi Dei iniuriam diripiunt & conſumunt. H. Obſecro Domine, huius te miſereſcat.

De Equitibus auratis, & de Nobilibus,

CAPVT XVII.

DEVS: Adſpice porrò auratos equites & nobiles, quam eorum ſit admiranda vel potius horrenda vita hiſce periculoſis temporibus cuiuſmodi gerant veſtes, turpiſſime ac inhoneſtiſſime conſciſſas atque conſtrictas. An ne tota eorum viuendi ratio ac inſtitutio talis eſſe videtur, ac ſi mente capti & planè ſtolidi ſint, diuiniq́; timoris & rectæ rationis expertes, idque tam viri quam fœminæ? quandoquidem omni ordinis equeſtris honeſtate poſthabita, petulantiſſime viuunt, in omne vitiorum genus effuſi. Olim quidem permittebatur Equitibus haſtis cõgredi, ſeſeque ad pugnam exercere, hoc conſilio, vti artis bellicæ periti atque ad pugnandum inſtructi redderé-

Nobilium olim exercitatio, qualis & in quem finẽ eorumque conuerſatio quà placida.

tur,

tur, ſi qua Eccleſiæ pericula eueniſſent, atq; vt pupillos & viduas tueri poſſent. Erat id temporis vita eorum & cõuerſatio vſqueadeo honeſta, compoſita, diuina, modeſta ac humilis, vt adſpicientes delectaret neque mediocriter ad virtutis honeſtique ſtudium eorum animos inflammaret. Denique in cunctis actionibus ſuis Deum, eiuſqúe honorem intentione ac amore proſequebantur. Ita videlicet vitam quondam exigebant ſuam equites pij, honeſti, atque prudentes: eaqúe re multi ex eis, diuorum catalogo aſſcribebantur.

De Ciuibus & Mercatoribus.

CAPVT XVIII.

DEVS: Iã oculos aduerte ad ciues & mercatores, vt ij hoc æuo ſeſe gerant in vrbibus. Certum indubitatumq; habeas, periculoſiſſime cum eis agi. Immanis ſiquidem & horrenda eos auaritia obtinet, qua intantum occæcantur & implicantur, vt vix eam à ſe vnquam ante obitum ſuum poſſint excutere, maximiſque ſeſe obſtringant ac inuoluant vitijs & peccatis. Auaritia quæ vnde ducat originem. Oritur autem hæc auaritia ex animi faſtu ac elatione, qua alij alios perpetim excellere nituntur. Interim permiſſu quorundam ex eis qui confeſſiones recipiunt, quod optimé nouit is, quem nihil latet, res & bona tẽporaria periculoſiſſime coaceruãt, nimiſq; laxa ſunt conſcientia. Quales olim Ciues & negociatores fuerunt. Olim ciues & negociatores homines erãt religioſi ac virtutibus ornati, & in omnibus, quæ vel egiſſent, vel omiſiſſent,

fidos

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN